



Dissertatio juridica inauguralis de osculo sponsalitio ad L. XVI. C. de donat. ante nuptias: quam ... eruditorum examini submittit Jacob Simon Guldensteeden

<https://hdl.handle.net/1874/291135>

DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
OSCULO SPONSALITIO

Ad L. XVI. C. de Donat. ante nuptias.

QUAM,
ADSPIRANTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

JOANNIS DAVIDIS HAHN,

Philos. & Med. Doct. Philosophiae, Physices Experimen-
talium & Astronomiae Professoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, atque
Nobilissimae FACULTATIS JURIDICAE decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus &
Privilegiis rite ac legitime consequendis,

Eruditorum Examini submittit,

JACOB SIMON GULDENSTEEDEN, SURINAMENSIS.

ad diem 14. Julii, H. L. Q. S.



TRAJECTI AD RHENUM,
Ex Officina JOANNIS BROEDELET,
ACADEMIE TYPOGRAPHI. MDCCCLV.

Passatio iurica
in auctoritate
Oculorum sagittio
Iocundis han
discepsit
sunt
sunt
sunt



Passio iurica
in auctoritate
Oculorum sagittio

V I R O.

NOBILISSIMO. AMPLISSIMO.

GRAVISSIMO.

D. GERARDO. ARNOLDO.

HASSELAER

J. U. D.

INCLITAE. CIVITATIS. AMSTELAEDAMENSIS.

CONSULI.

SOCIETATIS. INDICAE ORIENTALIS.

MODERATORI.

AD. PACIS. AQUISGRANENSIS. NEGOTIA.

SUMMA. OLIM. CUM. POTESTATE.

DELEGATO.

ETC. ETC. ETC.

* 2

NEC

N E C N O N
S P E C T A T I S S I M I S . P R A E S T A N T I S S I M I S .

V I R I S .
D . N I C O L A O . D E . R U Y T E R

I N . C E L E B E R R I M O . A M S T E L A E D A M E N S I U M .
E M P O R I O . M E R C A T O R I
F L O R E N T I S S I M O .

D . O T T O N I . A R N T Z E N I O
J . U . D .

G Y M N A S I I . A M S T E L A E D A M E N S I S .

R E C T O R I . D O C T I S S I M O .

V I G I L A N T I S S I M O .

D I S S E R T A T I O N E M . H A N C . I N A U G U R A L E M .

S E Q U E . T O T U M .

E A . Q U A . P A R . E S T . R E V E R E N T I A .

C O N S E C R A T . E T . O F F E R T .

J A C O B . S I M O N . G U L D E N S T E E D E N .



DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
OSCULO SPONSALITIO

Ad L. XVI. C. de Donat. ante nuptias.

§. I.

Quamvis generi animantium omni a natura vis quaedam indita sit, qua ad sui generis propagationem & conservationem sponte feruntur; ea tamen in nobis hominibus non adeo fluxa & vaga est, ut nullis circumscripta limitibus libere vagetur, nullibique subsistat: Siquidem ratione, cuius ope illius impetus moderari ac regere valemus, instructi simus; & moderandos esse facile intelligimus. Etenim qui se solum audiunt, magisque stimulis & affectibus suis obediunt, quam rationi & salutaribus prudentiae monitis, videbis tragicos sibi praeparare exitus, & haud raro

A

DISSERTATIO JURIDICA

raro totarum gentium exidia, civitatum clades, regum principumque caedes excitare.

Sane per hoc superbum cecidit Ilium, Sabini Romani que se mutuis attrivere praeliis, Tarquinius urbe expulsus, Appius Claudius in carcerem detrusus mortem sibi concivit, Caesar apud Alexandriam vicitus est, & hujusmodi centena alia facile possem ex antiquis monumentis addere, si domestica & recentia deficerent exempla. Vide modo raptas & ereptas afflictissimis parentibus filias: aut, illis frustra obloquentibus, male nuptas, filios scortorum amoribus implicitos: liberos patrum matrumque insana libidine infelices, familiarum dedecora, vomicas, carcinomata. Quod vadimonia fiant, versuras faciant plurimi, consumatis facultatibus foro cedant ac inopiac litent, ab eadem saepe causa est.

Conjugum improbos mores respice, fastum, luxum, libidinem, in educandis liberis negligentiam, zelotypiam, odia mutua, lites, pugnas, divertia. Omnia haec ex caeca stimulorum obsequentia ac amore recti nescio proveniunt. Nec hosce effrenatos ac maleferiatos homines excusabit JUSTINIANI auctoritas, in *Nov. 74. cap. 4.* dicentis: *Nihil esse furore amoris vehementius, & eum retinere, Philosophiae esse perfectae.* quandoquidem vel ex PROCOPII *Historia arcana* novimus, parum *Illum Philosophiae* in ducenda *Theodora* adhibuisse: ut ideo hoc magis sui excusandi ergo dixisse existimandus sit, quam ex rei veritate. Natura, quam nobis Deus dedit, est quidem inter boni malique studia anceps; sed tamen ita comparata, ut superveniens doctrina eam perficere possit. Quapropter vitalis illa flamma non extingueda, sed flabello salubrium praceptorum ven-

tilan-

INAUGURALIS.

3

tilanda; non eliciendus naturae motus & incurfus, sed
castigandus & coercendus.

I I.

Ceterum hac in re laxiores esse viris verecundiae ha-
benas, quam feminis, non est, quod probem. Ubique
enim terrarum major a mulieribus, quam a masculis
exigitur castitas. (a) Et inde est, quod maribus licet
ambire virgines, non contra. Prostitutae quippe pu-
dicitiae habetur, & ab omnibus contemnitur, quae
procum quaerit. Legitima quidem est, nec puellae
indecens dulcis spes Hymenaci, & grata nuptiarum
exspectatio; turpe tamen videtur & indecorum in
virgine conjunctionis votum, nisi & vultus & sermo-
nis pudor animi modestiam, castosque mores referat.
Unde etiam est, quod, cum per hoc mulieres non ae-
que ac mares coelibatum evitare possint, illarum major
ratio, quam horum in legibus *Julia* & *Papia* habita
fit. Non enim ita feminas, ut viros coelibes puniverunt;
tametsi vocabulum illud, quo poena ista significatur, a
muliebri sexu desumptum sit: siquidem *uxorium aes* ap-
pellabant, teste *FESTO in voc.* multam, quam viri ob
eam caussam pendebant.

I I I.

Naturalis itaque ordo sic jubere videtur, ut a viris am-
biantur faeminae, perque gradus, variasque ambages

A 2

in

(a) Caussam hujus rei eleganter peroravit *BALT. CASTILIO Lib.*
III. de Anlico pag. m. 236. quem inspexisse haud poenitebit.

DISSERTATIO JURIDICA

in sua trahantur vota. Virgo ideo, quae petebatur, tribus diversis nominibus, totidem in hoc amoris negotio gradus significantibus, veteribus appellabatur. Statim enim atque placere incipiebat, *Sperata*, quia procul eam ducturum sperabat; dein cum mutui amoris verba intercesserant, conditioque erat conventa, *Pacta*; & postremo celebratis sponsalibus, *Sponsa* vocabatur; uti ex NONIO MARCELLO de Propriet. serm. pag. m. 213. patet. Verba ejus sunt: *Inter speratam dictam, & pactam, & sponsam hoc interest; quod virgo priusquam petatur sperata dicatur; debinc promissa (b) vel pacta, vel sponsa dici potest.* Huc quoque respicit ARNOBIUS Lib. IV. Advers Gent. *Habent, inquit, speratas, habent pactas, habent interpositis stipulationibus sponsas.* Alio modo has voces explicat ALB. GENTILIS Lib. II. de Secund. nupt. cap. 22. Alii iterum aliter. Quae sententiarum divortia, recte id notante Cl. TREKELLO in not. ad Briffon. de Rit. nupt. pag. 289. Oper. minor. ex eo nata videntur, quod non recte distinxerint inter virginem sponsam speratam & uxorem, interque sponsalia sperata & nuptias speratas.

I V.

Ut vero hoc maximi momenti negotium, a quo nunc fere vitae nostrae tranquillitas, salus & reliqua omnia dependent, citius ac commodius perageretur, adhibebant sponsaliorum conciliatores, vulgo *pararii & proxenetae* dicuntur. Moris hujus meminit ULPIANUS in I. ult.

(b) Forte rescribendum, debinc si promissa.

ult. *D. de Sponsal.* Et fere semper, ait, *conditiones interpositis personis* expediuntur. Atque ideo quoque rubrica Codicis de *Sponsalibus & arrbis sponsalitiis & proxenetis*, ita concepta est. Praeclara horum exempla occurunt *Genes. XXIV. §. 2. Tob. VII. §. 8, 9.* Praemium eorum *proxeneticum & ēquorūtūdō* appellabant, *i. 2 D. de Proxenet.* Si certum in hac causa non erat promissum, definiebatur arbitrio judicis, donec ei certus sit modus dictus Constitutione Graeca, quae desideratur titulo primo libri sexti Codicis, quam cujus ex *Basilicis* restituit. *Lib. II. Obs. cap. 18.* & nemini antequam LEUNCLAVIUS eclogam Basiliār anno 1515. edidit, cognita fuit. vid. BRUNQUELL. *Part. II. Hist. Jur. Civ. cap. 9. §. 22.*

V.

Cum conditio de dote, & futuris nuptiis erat conventa, *sponsalia* contrahebantur; sic dicta a *spondendo*, quod teste Ulpiano in *i. D. de Sponsal.* veteribus moris fuerit stipulari & spondere sibi futuras uxores. Constatudinis hujus exempla apud exteros scriptores passim occurunt. Elegans habet PLAUTUS in *Autul. Act. I. scen. 4.* Tricas ideo VERRIUS FLACCUS apud *Festum* voc. *spondere* videtur nectere, dum ex Graecis sponsaliorum nomen derivat, eo quod sponsi σπόνδαις, id est, interpositis rebus divinis, sponsalia facerent. Nec commoveor ANDR. DACERII lenitate in *not. ad Festum*, nec ALB. DIET. TREKELLI argumentis in *not. ad Brisson. de jur. connub.* pug. 288. Oper. minor quum vix Verris etymologiam excusent, nedum valide tueantur. Postea

A 3

pla-

placuit nudo pacto & absque stipulatione confici posse, & quaecunque verba, quaecunque signa, dummodo mentem contrahentium demonstrent, sufficere. Signa requiruntur in mutis & surdis, qui fari nequeunt; in his enim nutus & gestus mentis quasi internuncii sunt.

Verba vero reguraliter ab iis requiruntur, qui fari possunt, sufficient tamen & eorum signa, dummodo ea satis ostendant animi consenitum. Immo quoniam ipsum nuptiarum nomen bene moratis & indelibatis virginibus sanguinem diffundit; cumque exornet puellam, de cuius agitur nuptiis, frons ad pudorem composita, facies modestiae & ingenuitatis colore purpurans, ac mixta tenerimis lacrymis taciturnitas, satis est, ut vultu annuat sposo, quae a parentibus spondetur, l. 12. *D. de Sponsal.* Timida quippe, quae ita se gerit, censetur, & prae pudore non ausa mentem etiam testatis verbis expromere, ne appetitiae procacioris esse, & expetere maritum videatur. vid. *CYPRAEUS de jur. connub. Lib. 1. cap. 3. § 4.*

V I.

Contractis sponsalibus mox nova nascitur sposo cura novusque labor; non improbus, non injucundus, non sterilis: sed facilis, hilaris, ubertus. Studium scilicet in suas partes magis ac magis trahendi sponsam, affectusque ejus tenerimos lucrandi. Non ideo de sua animula bene merendi occasionem praetermittit ullam, sed advocat in subsidium omnem facundiam, officia quaevis honesta praestat diligenter, munera denique mittit, uniones, gemmas, annulos, vas aurea, aliaque iocalia

INAUGURALIS

calia ad mundum muliebrem spectantia. Sic ELEAZARUS proxeneta Isaaci vasa aurea & argentea, vestes item preciosas Rebeccae dedit, quorum pondus & pretium *Genes. XXIV. §. 10. 22. § 53.* describitur.

Liberalitates hae *sponsalitiae donationes* ac *largitatem* appellantur, & (c) olim si simpliciter erant collatae nuptiis etiam non sequutis, sponsa eas retinebat. Mera haec & pura donatio censebatur, non ob causam facta, *l. 1. §. 1. D. de Donat. l. 27. l. 66. D. l. 4. l. 6. Cod. de Donat. int. vir. § uxor.* Nulla ideo personarum, impedimentique seu casus, ob quem nuptiae non sequebantur, ratio habebatur; nisi expresse conventum erat, ut nuptiis non sequutis, donata restituarentur, *l. 7. C. de Donat. ant. nupt.* aut si non sponsae, sed parentibus ejus, provocandi matrimonii gratia, sponsus munera dedisset, *l. 2. C. eod.* ratus forte, se hoc remedio posse voti competem fieri; uti etiam nullum praesentius est; ceu vel ex *Poëta*, quem *Corn. Gallum* appellant, *Eleg. III.* constat:

Do-

(c) Perperam in *Nov. 22. cap. 18. pr. cap. 19. §. 1. & cap. 21. §. 1.* & *Nov. 119. cap 1.* donationes propter nuptias ita vocantur. Nam non una, sed variae inter istas donationes sunt differentiae. *Donationes* propter nuptias & ante matrimonium & stante matrimonio fieri potest; *sponsalitia largitas* tantum ante matrimonium confertur. Illa fit intuitu dotis, & quasi in ejus renumerationem; haec non item. Illa fit vel a sponso sponsae, vel a marito uxori, non contra; haec autem a sponso sponsae & vice versa fieri potest. Illa secuto matrimonio fit quidem uxoris, sed revocabiliter; haec subsecuto matrimonio manet ejus, cui facta est. Illa si non sequuntur nuptiae propter casum, indistincte repetitur; haec non item.

8 DISSERTATIO JURIDICA I

— *Donis, ait, permulcet corda parentum*

Et pretio faciles in mea vota trahit.

Auri caecus amor nativum vincit amorem,

Cooperunt natae crimen amare suae.

V I I.

At CONSTANTINUS. M. in l. 2. C. Th. de Sponsal. ex
qua compilata est l. 15. C. de Donat. int. vir. &
uxor. novum jus introduxit, & res pure donatas nuptiis
morte alterutrius, vel pœnitentia non sequutis lucrari
vetuit; sed ad donantem, vel ejus heredes, filios aut
parentes, non vero ad ulterius gradus, aut extraneos
heredes, statuit reverti: forte quod donatio, inter
sponsos simpliciter facta, sibi visa sit, tacitam conditi-
onem nuptiarum in se continere. Praeterea in d. l. 2.
voluit, ut, si ob sponsi mutatam voluntatem nuptiae
non sequerentur, donatio sponsae commodo cederet;
& si hoc a parte sponsae contingeret, ut sibi mutuo res
donatas sine ulla diminutione restituerent. Ita Prin-
ceps Christianus & honesti amantissimus, quo elogio
eum prosequitur MARTIANUS in Nov. iv. frenum levi-
tati repudiorum videtur imponere voluisse; ut scilicet
scirent ii, per quos stetisset ne nuptiae consummaren-
tur, donationis sponsalitiae commodo se privandos: con-
tra iis, per quos non stetisset, ejusdem donationis com-
modum esse servandum. Denique in quaestione de re-
stitutione & retentione sponsalitiae largitatis non impleto
matrimonio, illud tantum superstibus sponsis spectari jus-
sit, uter ex sponsis voluntatem mutaverit, renunciave-
rit, discusserit, & nihil praeterea amplius. Enimvero
cum

INAUGURALIS.

9

cum JUSTINIANUS hoc non probaret, & varias matrimonii non consummandi caussas attendi vellet, probata constitutione LEONIS & ANTHEMII in l. pen. C. de Sponsal. hanc Constantini legis partem in d. l. 15. C. de Donat. ant. nupt. delevit.

VIII.

Ipse vero Constantinus, quod olim constituerat, scilicet, ut donata, nuptiis per mortem alterutrius non sequitis reverterentur ad donatores, eorumque heredes, id nova ratione rursus determinat in l. 5. C. Th. de Sponsal. quae est l. 16. C. de Donat. ant nupt. nunc proprius inspicienda. Verba legis, ut DION. GOTHOFREDUS ea vulgavit, sunt:

Imp. CONSTANTINUS A. ad TIBERIANUM Vicarium Hispaniarum.

Si, a sponso rebus sponsae donatis interveniente osculo, ante nuptias hunc vel illam mori contigerit, dimidiam partem rerum donatarum ad superstitem pertinere praecepimus, dimidiam ad defuneti vel defunctae heredes, cuiuslibet gradus sint, & quocunque jure successerint: ut donatio stare pro parte dimidia, & resoluti pro parte dimidia videatur. Osculo vero non interveniente, sive sponsus, sive sponsa obierit, totam infirmari donationem, & donatori sponso, vel heredibus ejus restituiri. Quod si sponsa interveniente, vel non interveniente osculo, donationis titulo (quod raro accidit) fuerit aliquid sponso largita, & ante nuptias hunc vel illam mori contigerit: omni donatione infirmata, ad donatricem sponsam, sive ejus successores donatarum rerum

B

do-

DISSERTATIO JURIDICA

*dominum transferatur. Accept. 13. Kal. maji HISPALI,
NEPOTIANO & PACATO CONSS. 336.*

I X.

CONSTANTINUS CONSTANTII CHLORI filius, legis nostrae auctor, patre mortuo imperium per Gallias, Hispaniam & Britanniam annum agens trigesimum auspicatus est. Vide *Auctorem ejus vitae. Lib. IV. cap. 53.* Dein rebus domi ac militiae praeclare gestis *Magni* titulum meruit, aeternamque laudem consequutus, maxime ob id, quod religionem Christianam, cuius veritas eo tempore doctis erat contemtui, & indoctis odio, teste *LACTANTIO Lib. I. Instit. cap. 1. & Lib. V. c. 1.* Ipse eam amplexus a barbara servitute liberavit, liberatamque recreavit, constituit ac formavit. Sic primus Principum Romanorum fuit, qui repudiatis gentilium erroribus maiestatem veri Dei cognovit, & honoravit, eversaque justitiam reducens deterrimum aliorum facinus expiavit. Scio equidem magnum SCALICERUM in *Anis* in dubio reliquisse, an Imperator hicce vere fuerit Christianus. Sed refutavit summus VITRINGA ad *Apocalypsin Joannis cap. XII. v. 6.* hujus viri sententiam, egregie docens, quam parum fidei sit tribuendum *Eutropio, Zosimo, Juliano, aliis.* Non moror, qui, ut *Constantino* omnem gloriam, quam ob pacem Ecclesiae datam, consequutus est, iterum adimant, audacter contendunt, religionem Christianam opera principum subsidiove uti non debere, & his quoque cum illa nihil rei esse, neque illi cum his quicquam esse debere; cum omnia, quae proferunt, magis ex odio Christianæ religionis,

quam

quam ex sana ratione petita sint. Videſis, qui jam olim
has ſive ineptias, ſive calumnias repreſſit, & refutavit,
AUGUSTINUM Epift. XLVIII. § 1. Sed haec de auctore
legis noſtræ notaffe ſufficiat. Plura qui ſcire cupit, a-
deat eos, qui vitam Ejus data opera litteris conſigna-
runt.

X.

Miſſa eſt haec conſtitutio ad TIBERIANUM, primum Hispa-
niarum vicarium, qui in vetuſtis monumentis occurrit,
& idem videtur, qui anno Chr. 326. & 327. per Africam
Comes fuit, l. 1. C. Tb. *Quemadm. mun. civ. l. 15. C. Tb.*
de Decurion. Nec diuersus ab eo, qui anno Chr. 332.
Comes Hispaniarum fuit, l. 6. C. de Serv. fugit. cu-
jus mentio quoque fit in l. 1. C. de Fund. limitroph. Lib.
XI. Alius autem eſt, quem HIERONYMUS in *Chronico*
ſcribit anno Constantini 30. functum fuiffe praefectura
Praetorii Galliarum. Noster enim vel ideo eſſe non po-
tuit, quia eodem anno, quo haec conſtitutio ad eum
transmiſſa, erat Vicarius; jam Vicarius Hispaniarum
ſuberat Praefecto Praetorio Galliarum, l. 61. C. Tb.
de Curs. publ. & vices ipſius gerebat, ſeu, ut *Impp.*
aiunt in l. 1. C. de Proxim. ſacror. ſcrin. Lib. XII.
qui pro Praefecto dioceſes ſibi creditas temperabat.
Hinc *Vicaria Praefectura* in iſcriptione l. 11. C. de
Jur. § fact. ignor. Cognoscebat vice Praefecti, l. 1.
§. 4. D. de Legat. 3° & l. 19. C. de Appell. Ex con-
ſtitutione VALENTIANI in l. 1. C. de Offic. Vicar in
cauſis ciuilibus comitibus militum praeferebatur; in
negotiis vero militaribus comites Vicario. Quoties au-
tem ſocietas in judicando contingeret, priori loco Vi-

DISSERTATIO JURIDICA

carius ponebatur: siquidem Praefecturae meritum ceteris dignitatibus anteestabat, & Vicaria dignitas ipso nomine ejus se trahere indicabat portionem. Videsis, qui de his uberior agunt, PANCIROLLUM ad *Notit. Imp. Orient. cap. 121.* & JAC. GOTHOFREDUM in *Notit. Dignitat. Codic. Theodos.* Pracerat noster septem provinciis, in quas Constantinus Hispaniam diviserat, quarum tres erant consulares, ut Baetica, Lusitania, & Gallicia; quatuor praesidiales, ut Tarragonensis, Carthaginensis, Tingitania & Insulae Baleares. vid. *Notit. Imp. Occid. cap. 66.* Olim AUGUSTUS Hispaniae tres constituerat provincias, Baeticam, Lusitaniam, & Terraconensem. In Baeticam, quam populo reliquerat, mittebatur Praetor, in reliquas Legati. Postea praesides Hispaniam rexerunt, non unus, quamvis *Maecius Probus* sub *Severo & Antonino Impp.* Hispaniae praeses fuisse dicatur in *l. 7. §. 10. D. de Interd. & relegat.* id tamen de una procul dubio trium istarum provinciarum intelligendum est; siquidem in *l. 4. §. 1. D. Ad Leg. Corn. de sicariis.* dicatur a *D. HADRIANO* probatum esse factum *Ignatii Taurini* proconsulis Baeticae, & in *l. 2, D. de His,* qui *sui vel alien. jur.* UPIANUS alleget rescriptum *D. PII* ad *MARCIANUM* proconsulem Baeticae, & ex *GRUTERO* p. *CCCLXXXI. 1.* constet, provincias istas adhuc sub *ALEXANDRO SEVERO* fuisse divisas. Denique observat JAC. GOTHOFREDUS ad *l. 4. C. Tb. de Accusat.* a *CONSTANTINI* temporibus in haec usque tempora totius Hispaniae administrationem quater variaisse. Primo scilicet eam sub comitibus fuisse, dein vicariis paruisse, postea proconsules habuisse, & tandem ad vicarios rediisse.

X I.

Data constitutio nostra est, ut ex subscriptione, quae in Codice Theodosiano integrior extat, *Idib. Jul. Constantinop. accepta Hispali XIII. Kal. Maii.* In quibusdam Codicibus est *XIV. Kal.* uno die citius. Decimo itaque mense, postquam data erat, Hispalin pervenit, quae erat totius Hispaniae metropolis, ubi morabatur Vicarius. Vid. JAC. GOTHOFRID. in *Comment. C. Th.* ad hanc legem. Additur NEPOTIANO & PACATO *Conf.* Codex Theodosianus pro *Pacato*, habet *Facundo*, quod rectius esse ex chronographis apparet, qui omnes notant *Nepotianum & Facundum Conf.* & iidem quoque notantur *I. i. C. de Natur. lib.* Nisi *Pacatum* fuisse *Facundum* vocatum dixeris. Incidit horum consulatus in annum Chr. 336. qui est annus 30. imperii Constantini.

X II.

Hisce praemissis, ipsa lex inspicienda venit. Ejus autem in explicatione verborum ordinem, veluti maxime naturalem, sequendum esse arbitror. Jure meritoque Imperator statim in initio legis nominat res & personas, quarum caussa eam promulgavit. *Si a sponso,* inquit, *rebus sponsae donatis.* Scilicet amoris promovendi caussa, nam aliud in sponsalitis arrhis juris est, uti recte AZO hic notavit (*) Praeter annulum enim pronubum, alia-

B 3

que

* Arrha a sponso dabatur sponsae in testimonium & quasi pignus de futuris inter eos nuptiis factae sponsionis, ejusque nomine

DISSERTATIO JURIDICA

que arrhae loco data, quaedam donationes olim adjiciabantur, quas in *sponsalibus factas* vocat ULPIANUS *l.* 32. §. 27. *D. de Donat. int. vir. & uxor.* & de his duntaxat hic sermo est. Arrhae autem, si sponsa repudii caussam dedit, duplum reddere debet: si sponsus, perdit eam, *l. pen. C. de Sponsal.* Sin neuter praebuit dissolvendorum sponsaliorum ansam, cessat ejusmodi poena, & integra restituenda est; ut si mors intervenerit, aut aliud legitimum impedimentum, vel ex iusta poenitentiae causa repudium sit factum, *l. 3. C. 5. C. eod.*

X I I I.

Interveniente osculo, id est, osculo comite, seu, ut *Ampl. OTTO in Comment. ad §. 3. Inst. de Donat.* quasi aliud agens haec interpretatus est, inter publice celebrata sponsalia. Etenim duplex erat olim sponsaliorum celebrandorum ratio; vel solemniter, adhibitis arbitris, arrha & osculo interveniente; vel minus solemniter, osculo

mine saepius, non nummi, sed pronubus annulus dabatur, unde *JUVENALIS Sat. VI.* Et dīgo pignus fortasse dedisti. Eum vero annulum ferreum fuisse, refert *PLINIUS Lib. XXXIII. cap. 1.* aureos tamen annulos etiam dedisse, feminasque domi gestasse, satis constat ex *TERTULLIANI Apolog.* Solere & alia multa arrhae nomine dari, novimus ex *CAPITOLINO in Maximino Junio-re cap. 1.* Differunt arrhae multis modis, a sponsalitiis donationibus. Illae & olim & hodie non secutis nuptiis redduntur, hae olim remanebant apud sponsam. Illae nuptiis culpa sponsae non secutis regulariter in duplum restituuntur, *l. 3. C. de Sponsal. Add. Ampl. BYNKERSHOEK. Lib. VII. Obs. cap. 15.* haec vero in simplum.

osculo scilicet arbitrisque omissis Ad priorem respexisse videtur TERTULLIANUS de *Veland.* virg. cap. xi. Ad desponsationem, inquit, velantur virgines, quia corpore & spiritu masculo mixtae sunt per osculum (d) & dextras, per quae primum resignarunt pudorem spiritus, per commune conscientiae pignus, quo totam condixerunt confusionem. Eleganter osculum appellat, communne conscientiae pignus, quod eo tanquam pignore novi sponsi conscientiam ad fidem, concordiam, & amorem conservandum obligare putabantur. Fit quoque hujus osculi mentio in Novella ALEXII COMNENI titulo *de Sponsalibus*, & ibidem inter eorum solemnia numeratur. Res porro ipsa satis clare indicat, hic non agi de quovis osculo, sive clam, sive palam dato. De occultis enim & quae praegnantes ob caussas nonnunquam dantur & accipiuntur, non judicat, ut vulgo dicitur, ecclesia; & jura constitui oportet de his, quae eti^m r^o

πλει-

(d) Apprime ideo CASTILIO Lib. IV. de *Aulico* pag. 337. ait: *Osculum cum & corporis & animae conjunctio sit, merendum vobementer, ne ille amor sensualis, corpori quam animae sit proclivior. Amor vero rationalis, etiamsi os corporis partem esse non ignorat, tamen cum verba, quae animae sunt interpres, ex eo tanquam illius vestibulo excent; cum spiritus etiam noster, qui anima a multis appellatur, illac effusat, suus cum amatae mulieris ore conjungit, non ut illam honesto aliquo desiderio incendat, sed ut ex eo vinculo animarum adiuns utrinque patefaciat: quam cum altera alterius studio efferatur, alternae sese in virisque corporis infundunt atque commiscent, ut e duabus una fiat, quae duo corpora mirifice gubernent: ita osculum animae potius quam corporis est connectio. Nam & istam ad sese subtiliter attrahit, & ab omni faece corpora quedammodo disjungit. Unde omnes pudice amantes osculum tanquam auctorium catenam aliquam experunt.*

πλεῖστοι accidentunt, secundum l. 3. *D. de Legib.* Et qui, quaeſo, ſi ſponsus, aut ejus heredes negarent, ſe, aut defunctum unquam a ſponſa ſumſiſe oſculum, illa probaret contrarium, niſi ſi praefentibus teſtibus hoc ſigilum ſponſalibus fuifet adpenſum? HARMENOPULUS *Lib. iv. tit. 3. §. II. pag. 292. edit. Dion. Gothofred.* recte ideo principium noſtræ legi ita interpretatur: *Εαν ἐφίλησεν ὁ μνητὴρ τὴν μνητὴν ἐν τῷ τῆς μνητείας καιρῷ. Si ſponſaliorum tempore ſponsam oſculatus ſit ſponsus.* Deinde patet ex iis, quae habet ARNOLD. FERRONUS *ad Consuetudines Burdigal. tit. 4. de Dote §. 2.* antiquitus apud Hispanos, ad quos haec lex miſſa eſt, hunc, quem diximus, modum contrahendorum ſponſaliorum viguiſſe. Ex GOMMESIO quoque novimus ad *Leg. Tauri LII. num. 3.* dictam legem & confuetudinem adhuc ibidem in viridi eſſe obſervantia. Denique & illud in ſubſidium venit, quod & apud alias gentes moris fuit, ut pacta & conventiones, ſed maxime ſponſalia, oſculo firmarentur, ut eo fidei & amoris ſymbolo promiſſis ſtandum eſſe admonerentur. GREGOR. TURONENSIS *de Vit. Patr. cap. 20.* *Dato ſponsae, inquit, annulo porrigit oſculum, praebet calciamen tum, celebrat ſponſaliorum diem festum.* In confuetudine Rupellana, docente JAC. GOTHOFREDO *in Comment. C. Tb. ad b. l. cavitur artic. 46.* *Mulierem post obitum mariti inter certa ſibi habere, quod donato accepit pro jure oſculi (vulgo pour ſon oſculage.)* In chartis medii aevi nihil frequentius eſt, quam ut oſculum pro donatione propter nuptias & ſponſalibus ponatur; cujuſ rei exempla complura du FRENIUS collegit in voce *oſculum.*

XIV.

Ante nuptias, id est, antequam sponsa in domum mariti fuerit deducta. Quamvis enim ad matrimonium perficiendum deductio in domum non sit necessaria; sed nudus sufficiat consensus, *l. 32. §. 13. D. de Donat. int. vir & uxor. l. 31. D. de Donat. l. 30. D. de R. J. l. 22. C. de Nupt. l. 11. C. de Repud. Nov. XXII. cap. 3.* quia tamen deductione ille consensus maxime declaratur, ea omnino requiritur, quando lex nuptias exigit, ut in casu nostro, & in *l. 6. C. h. t.* vel sub illarum conditione aliquid est relictum, aut de praejudicio tertii agitur; ut scilicet ita omnis fraus amoliatur, *l. 15. D. de Condit. & demonstr. l. 24. C. de Nupt. l. 6. C. Tb. de Tironib.* Videsis, qui uberioris hac de rē disputant, *JAC. GOTHOFRED. ad d. l. 6. C. Tb. de Tironib. & ULR. HUBER. Part. II. Digress. Lib. 1. cap. 12. §. 5.*

XV.

Hanc vel illam mori contigerit. Idem dicendum ait BRUNNEMAN. ad *b. l.* si per casum fortuitum fiat, ut nuptiae non sequantur. Forte respexit ad servitutem in quam per captivitatem alter fuit detrusus. Servitus enim mortalitati comparatur, *l. 209. D. de R. J. l. 59. in fin. D. de Condit. & Demonstr.* Secus autem erit, si ea poena in hunc vel illam statuta, quae irrogat servitutem, aut si alter servus privati factus fuerit; quia tunc culpa sua videtur redactus in eum statum, sibique impossibile impedimentum, quo minus nuptias possit con-

C

sum-

DISSERTATIO JURIDICA

summare. Nam non omnem servitutem morti similem esse, satis perspicue docet ULPIANUS in *I. 32. §. 6. D. de Donat. int. vir & uxor.* Et hoc casu perdit sponsus totam donationem, & si sponsae id contigerit, fine ulla diminutione res sibi donatas restituere debet, *I. 2. C. Tb. de Sponsal. I. 15. C. b. t.*

X V I.

Dimidiam partem rerum donatarum ad superstitem pertinere praecipimus, dimidiam ad defuncti vel defunctoriae heredes. Olim quod sponsus ex liberalitate sua dabant sponsae, nisi exprimeret, se sub conditione futuri matrimonii id donare, statim ejus in dominium transfibat; ita ut etiam ipsi marito posset in dotem imputare, & matrimonio non sequuto neque ipsa, neque ejus heredes tenerentur restituere. Id autem CONSTANTINUS mutavit, ut supra vidimus, & constituit, ut, si mors alterutrum sponsorum e vivis rapiat, tota donatio ad donantem vel ejus heredes revertatur, nisi osculo interveniente fuerit facta; quo casu voluit, ut, si sponsa moriatur, ejus heredes partem dimidiam largitatis sponsalitiae restituant sponso; si vero sponsus fato fungatur, ut sponsa semissem rerum donatarum lucretur, & alterum semissem defuncti heredibus restituat. Hoc ita, si sponsus quaedam donaverit, obtinere voluit; quid in sponsa donatrice juris esse constituit, mox sumus visuri.

X V I I.

Cujuslibet gradus sint. Cum Imperator CONSTANTINUS

INAUGURALIS.

19

Nus in l. 2. C. Tb. de Sponsal. constituerat, repente-
dae rei donatae facultatem ad donatoris tantum pree-
mortui patrem ac matrem, liberosque pertinere, non ad
ulterioris gradus vel extraneos heredes, hic novum jus
introducit, & heredum differentia sublata, *quocunque*
jure successerint, sive Praetorio, sive Civili, nihil in-
ter esse voluit.

X V I I I.

Ut donatio stare pro parte dimidia, & resolvi pro
parte dimidia videatur. In Codice Theodosiano est,
ut donatio stare pro parte media & solvi pro parte me-
dia videatur. Stare donatio dicitur, quae valida est.
Sic *venditio* dicitur *stare* in l. 57. §. 1. D. de Contrah.
emt. & contractus jure stare in l. 1. C. Ne uxor pro
marito. Rei ergo donatae semissim alterum pure habet
sponfa, alterum sub conditione, si nuptiae sequantur.
In indicanda autem hujus rei ratione mirum in modum
Viri docti variant. A. A. PAGENSTECHER de Jur. Virgin.
p. 238. eam dirivat ex innata mulierum rei acquirendae
cupiditate, dicens: Sponsa donum accipiens a sponso vi-
detur ipsum osculo impertiisse ab avaritiam sexus, qui
muneribus acceptis adeo delectatur, eaque osculo faci-
le compensat, ut pro hoc osculi dono sponsus, quasi ad
artidapa obligatus, semissim donatorum vicissim videatur
donare. At enim nolim tam male de sequiori sexu sen-
tias, eumque adeo rei habendae studere credas, ut etiam
ultra terminos verecundiae ac modestiae, quae sunt ejus
ornamenta praecipua, divitiaeque maximae, progredi non
vereatur, cum sit humanae societatis decus ac voluptas,

C 2

nec

DISSERTATIO JURIDICA I

nec probitatis copia nostro quicquam cedat. *Habent*, ait JOH. NEVIZANUS Lib. IV. Silv. nupt. num. 95. mulieres infinitas praerogativas, quas viri non habent, quae copiosius scriptae comperirentur, si mulieres scriberent, uti viri faciunt. & paullo post. Propterea inquiebat illa illustrissima Margarita Titia, cum aliquando verbis superari videretur a viris: Non enim hoc evenit, quia jus non habeam, sed quia illud dicere nescio. Immo plures etiam si sciant, nolunt dicere ob reverentiam, & ne displiceant hominibus, quibus postea facile est vincere, non repugnantes.

Optima nam nullo causa tuente perit.

Minime ergo hujusmodi suspicione premendae sunt mulieres, maxime cum quilibet bonus sit, doli ac fraudis expers, donec probetur contrarium, & praesumptioni bonae potius, quam detractioni injustae acquiescendum.

X. I X.

Modestior quidem, non tamen verior, est JOH. SICARDI sententia in *Comment. C. ad b. t.* rati, sponsam, cui osculum infigitur, sponsi affectui & cupiditati obsecundantem, hancque gratiam facientem, dare id, sponsum vero accipere, atque ideo non mirum esse, si vicissim sponsus pro accepto osculo aliquid etiam doni rependat. Verum enim vero quamvis multi hanc adoptent, est tamen magis splendida, quam vera. Nam hic non agitur de quovis osculo, quod sponsus vel rapuit, vel blande expetivit; nec quod donationem praeces-

cessit, aut post secutum est: sed tantum de eo, quod, cum sponsalia celebrarentur, sponsus his & sponsalitiae largitati tanquam sigillum appendit; non quod alio tempore donationi accessit. Huic autem casui speciali generalem SICHARDI rationem minime convenire posse, quilibet vel me tacente videt.

X X.

Propius ad verum accedit JAC. GOTHOFREDUS in *Comment. C. Tb. ad b. l. tom. I. pag. 308.* binas hujus rei adferens rationes. Prima est, quod delibata quadrantenns & pro parte dimidia sit sponsae pudicitia osculo interveniente; id enim mulieribus σύμβολον καὶ κοινωνία τῆς συγγενίας fuisse. Altera est, quod singularis osculorum inter Christianos olim fuit reverentia; & sicut his inter communionis symbola & charitatis signa osculum fuit, ut ex TERTULLIANO, AMBROSIO, aliisque BARONIUS docuit ad annum Chr. 45. ita sponsam, cui osculum tulisset sponsus, arctiori foederis vinculo conjunctam censi. Non disquiram an osculum, de quo hic agitur originem habeat ab illo charitatis, quo Christiani se ad mutuum amorem obligabant; nec negabo sponsam, cui osculum sponsus dederat, olim strictius fuisse obligatam: sed ob hanc caussam edixisse CONSTANTINUM, ut apud Hispanos sponsalitiae largitatis, osculo interveniente factae, dimidiā partem nuptiis morte sponsi impeditis sponsa lucraretur, eamque etiam ad heredes transmittere posset, si ipsa ante matrimonium consummatum moreretur, vehementer dubitem. Nam cum hic ratio sponsi nulla habeatur, & scriptura, praesertim

DISSERTATIO JURIDICA

cui testes subscrisserunt, quam validissime obligemur; & tamen si ea interveniente, vel sponsalia fuerint celebrata, vel a sponso quid doni acceperit sponsa, nullam ejus retineat partem, si nuptiae non sequantur, firmitas obligationis, ex sponsi osculo nata, non videtur causa hujus constitutionis esse posse. Plus vero valoris prima ratio habet, quam GOTHOFREDUS ex indole osculi petit. Quam cum solidam ac veram putamus, lubet hic paullulum excurrere, & osculi religionem, vim ac efficaciam breviter tantum tangere. (e) Oscularum originem quod attinet, ea citra controversiam ab ipsis rerum humanarum primordiis repetenda est. Natura quippe, quae utriusque sexui erga alterum infudit appetitum, mutuumque animorum & corporum ad se invicem accedendorum desiderium, primo amantes docuit labella committere, & prioribus in labris animam producere. Dein uti sui natura non mala sunt, ita apud omnes peraeque gentes praecipua amoris symbola esse coeperunt; non tamen apud omnes eandem vim ac potestatem, eandemque religionem ac reverentiam usque habuere. Apud frigidioris aëris Boreales in inculpatam abierunt consuetudinem, & juvenilibus jocis, voluptatique honestae inferiunt

(e) *Osculum* diminutivum oris est, & significat proprie os parvum & exiguum, quale maxime virginem commendat. Translate vero sumitur pro basio, significatione valde usitata, quandoquidem basiando os cœactamus & minuimus, & quasi ex ore osculum seu parvum os facimus. Ab osculo alii distinguunt *snavium* & *basium*. vid. AUSON. *POPMA de Different. verbor. in voc.* Sed pauci sunt, qui hanc minutiam curant, & nihil frequentius est, quam ut haec promiscue ponantur; ceu magna exemplorum cumulo, si res tanti esset, facile probare possem.

viunt. Apud Orientales vero, qui coelo soloque animantur acrius & amant fervidius, ea tantum, quae feminis ex officio modeste figuntur, probantur; cetera, quae ex juvenili errore pueris eripiuntur, ut blandimenta, quibus simplicitas sequioris sexus corrumpitur, vehementer reprehenduntur. Romani hac in re aliorum exemplum sequuti non quodvis osculum honestum habere, bene gnari, *amantis viri osculationem apud voluntatem pueram petitionis obtinere locum*, ut ait ACH. TACITUS. Quare suavitatis illius illecebras, quam osculum amantibus affert, puellis evitandas semper censuerunt. Sane improbi quid & inhonesti hujusmodi basiationibus inesse, multorum est sententia. PLAUTUS ideo adolescentem *Phaedromum* sic dicentem producit in *Circul. Act. I. scen. I. v. 51. seqq.*

*Tam a me pudica est, quasi soror mea sit: Nisi
Si est osculando quipiam impudicior.*

Respondet Palinurus servus.

*Semper tu scito, flamma fumo est proxima.
Fumo comburi nihil potest, flamma potest.
Qui e nuce nucleum esse vult, frangit nucem.
Qui vult cubare, pandit saltum suaviis.*

Unde adeo Romani virginibus oscula eripientes odio sunt persecuti, ut aliquando protervum hoc factum morte puniverint, ceu ex exemplo, quod habet VAL. MAXIMUS *Lib. vi. cap. i. ex. 4.* constat. Mitior fane erat PISISTRATI *Atbeniensium tyranni* sententia, quam

Idem

DISSERTATIO JURIDICA

Idem Lib. v. cap. i. ex. ext. 2. refert. Qui scilicet cum adolescens quidam, amore ejus virginis accensus, in publico obviam sibi factam osculatus esset, hortante uxore, ut ab eo capitale supplicium sumeret, respondit: Si eos qui nos amant, interficiamus, quid his faciemus, quibus odio sumus?

XXI.

Quamvis autem haec amoris oscula tanquam libidinis fomenta Romani non tolerarint; sed tantum admirerint ea, quibus feminae in legum officio ac obedientia se probarent tenaces; lascivae tamen mulieres ea exercebant in fraudem legis, praetextu ignorantiae eos, quorum amore deperibant, osculantibus atque si essent sui cognati. Huc respicit. PROPERTIUS *Lib. II. Eleg. vi. §. 8,*

*Quin etiam falsos fingis tibi saepe propinquos,
Oscula ne desint, qui tibi jure ferant.*

Etenim Romae constitutum erat, nt mulieres oscularentur propinquos suos, & ita probarent, vinum se non bibisse, cuius usu iis interdixerant. vid PLIN. *Lib. XIV. Hist. Nat. cap. 13.* Ejus ratio est, quod eo mulieres facile decipientur, & quod proximus a libero patre intemperantiae gradus ad inconcessam venerem esse consuevit. & sane, ut verbis VAL. MAXIMI *Lib. II. cap. 1.* *ut ear, quaecunque femina vini usum immoderate appetit, omnibus & virtutibus januam claudit, & delictis aperit.* Addatur PLUTARCHUS *Quaest Rom. cap. 6.* ex quo & illud dis-

discimus, quod non viri a feminis, sed feminae a viris oscula sumferint. Et hoc est illud *jus osculi*, cuius meminit *Suetonius in Claud cap. 26*. Ceterum quam circumspecte, quam parce Romanis feminas osculati fuerint, vel ex *CATONIS* exemplo, quod refert *PLUTARCHUS in Catone Majore*, patet. Scribit enim, *Porcium Catonem Manilium*, consulatui ut credebatur propinquum, senatu movisse, quod interdiu vidente filia uxorem esset osculatus. Quae durities! Sed ne longius, quam par est, a proposito aberrare videar, reliqua, quae ex antiquis monumentis hic possent addi, praetereo. Si cui autem lubeat ea accuratius scire, adeat doctissimi *KEMPII Dissertationes de Osculis*, qui omnia cum pulvrisculo exhaustis, & tantum suppeditabit, unde fatigari etiam patientissimus possit.

XXII.

Non mirum profecto, si haec antiqua intueamur exempla, Italos & Hispanos hodienum parce osculis uti, & poenis aliquando severis ea persequi. Auctor est *MASCARDUS de Probat. Vol. I. Conclus. 64. num. 4* communem esse Doctorum Italorum & Hispanorum sententiam, mulierem, quae alii quam marito dat osculum, eapropter dotem perdere. Notat *BAYARD. ad Clarum Lib. v. Sentent. Quæst. 83.* constitutum esse in capitulo 262. Regni Neapolitani, quod mulier se osculari patiens non tantum perdat eo ipso dotem: sed praeterea a paterna maternaque successione exclusa, omni ejus commodo irrecuperabiliter spoliata maneat, nullique sine poena pro ea intercedere permittatur. Refert etiam *MATTHAEUS de AFFLICTIS Decis. Neapolit. 276.* ob

D

os-

osculum quendam, virginī contra suā voluntatēm in via publica illatum ab urbe Sarni, ubi hoc factū erat, per trīginta miliaria fuisse relegatum, & præterea in pecuniae summam, moderandam secundum ejus facultates, condemnatum. Similem fere sententiam, inter Hispanos a Senatu Cataloniae latam, habet PEGUERA *Decis. 7. num. 24.* Porro ex osculo Italos & Hispanos non praesumere tantum adulterium, sed & probare, ajunt ALCIATUS *Lib. 4. Parerg. cap. 10.* NEVIZANUS *Lib. 4. Silv. nupt. num. 76.* & quos citat SALMUTH. ad Panciroll. *Lib. 1. Rer. memorab. cap. 46.*

XXIII.

Causa hujus severitatis, aliud profecto nomen haud meretur, non aliunde quam ex utriusque gentis innata zelotopia, & libidinis intemperantia petenda est. De Hispanis, ad quos *lex nostra* spectat, nota res est, eos usque adeo suspiciosos esse, ut non tantum mulieres ab omni actu, qui vel civilitatem, vel laetitiam spirat, quam longissime arceant; sed ne patientur quidem, ut sine custode foras exeant: immo a quamplurimis traditum est, eas ter tantum in publicum prodire, si baptizantur, nubunt & moriuntur. Vid. *Ampl. otto. Notit. Rerumpub. cap. 3. §. 27. num. 3.* MENDOZA ideo Hispanorum ad Britanniae Regem Legatus, referente PHIL. CAMERARIO *Cent. I. Oper. subcisi. cap. 34.* turpe esse dicebat, viros simul cum feminis in concionibus sacris permisitos videri. Sed urbane ei DALUS Magister libellorum fertur respondisse, turpe id quidem esse apud Hispanos, qui etiam in sacris locis cogitant de explenda libidine, a qua procul abeunt Anglorum mentes. Sacra enim Hispani non pa-

patiuntur fieri, nisi uterque sexus pariete medio dividatur. Facile itaque unusquisque intelligit, quid caussae sit, quare filias adeo conclusas domi servant, atque abundant, ut si quem honesta de nuptiis subeat cogitatio, ne colloqui quidem cum virgine ei prius permittant, quam per proxenatas peracta sint omnia. (f) Felices puellae Batavae! Felices nos quoque juvenes! quod majores nostri Hispanorum mores non receperint, sed ab iis adeo abhorruerint, ut coadunatis viribus & communi ope expulerint hisce regionibus, evulserintque ita, ut ne vestigia quidem eorum hodienum extent ulla.

XXIV.

Cum apud Hispanos sponsalia publice contraherentur olim, haud secus atque hodie, variae adhibebantur solemnitates, iisque peractis, sponsus jam hactenus voti compos admittebatur ad animulam suam, quam mox ambabus ulnis amplectebatur, eique adhaerens adeo blande oscula dabat, vicissimque accipiebat, ut ita mutuo orationes tangentes animas velle conjungere viderentur, si modo corporis sui terminum transfire possent; quod autem cum nequirent, circa corpus cogebantur veluti fores ambo, interioris gratiae suavitate praegustata, adstare supplices. Sponsus mox, ut sibi magis sponsam suam devinciret in

D 2

amo-

(f) Attamen non obstante hoc diligentia pudicitiae studio & diffidente hujus gentis natura, ac animo ad assiduas suspicione proclivo, nemo nostrum dubitat, quin quotidie experiantur quantum possit luxuria, ipsis vinculis, sicuti fera bestia irrita, deinde emissus.

*Cui peccare licet, peccat minus, ipsa potestas
Semina nequitiae, languidiora facit.*

DISSERTATIO JURIDICA

amoris tesseram & hujus osculationis perpetuam memoriā, uniones, annulos, aliaque ad mundum mulierem spectantia dabat.

XXV.

His itaque peractis sponsa non amplius integrae censetur pudicitiae, ejusque aestimatio ut sponsi amor incrementa accipiebat, ita paullatim imminuebatur. Osculum enim hoc moriturae virginitatis signum & non nuptiarum consummendarum tantum principium, sed & initialis futuri matrimonii fruitio habebatur. Nescio an magnus cujaciū hoc in animo habuerit, dum in *Paratitl. ad tit. C. de Donat. ant. nupt.* ait, qui osculum accipit, est quasi maritus, aut certe plus quam sponsus; huc etiam referens, quod *FABIUS* habet *Declamat.* 279. *non satis esse maritum tantum osculo putari.* Quantumvis ergo sponsa quam honestissime cum sponso conversaretur, nihilque impudici, inhonestique nihil committeret, ejus tamen pudicitia ob acceptum osculum erat suspecta. Sic

Famaque non facto criminē crimen habet.

Nolim autem credas apud solos Hispanos conspongos incontinentiae suspicione premi: nam & alibi locorum ob familiaritatem, quae brevi inter eos solet oriri, non semper de articulis fidei loqui, sed terminos verecundiae excedere facile creduntur. Forte inde quoque repetenda ratio est, quare *JULIANUS* in §. 9 *Inst. de Nupt.* ait, spon. a filii nurus quidem non est, nec patris sponsa

sa noverca, rectius tamen facturos, qui hujusmodi nuptiis abstineant. Add. l. 12. §. 1. G. 2. l. 14. §. ult. D. eod. & quae BROUWER L. II. de Jure connub. cap. 14. num. 6. hoc de re eleganter disputavit.

XXVI.

Cum itaque ex hac tenus disputatis satis, opinor, patet, sponsam ex osculo, quod sponsus sibi palam fixit, imminutae pudicitiae conferi, magnumque inde pati damnum, si nuptiae speratae non sequantur: aequum est, ut id, quoad ejus fieri potest, resarciantur. Id autem CONSTANTINUS fieri posse putavit, si semissem ejus lucaretur, quod sponsus, cum sponsalia contraherentur, largitus erat, dominiumque statim nanciseretur, idque ad suos heredes, si fata nuptias impedirent, posset transmittere.

XXVII.

Osculo vero non interveniente, sive sponsus sive sponsa obierit, totam infirmari donationem, & donatori sposo vel heredibus ejus restitui. Hoc est, si sponsus sponsae quid dederit alio tempore, quam cum sponsalia solemniter celebrarentur, totam tunc donationem morte alterutrius fieri irritam, & ad donatorem ejusque heredes reverti. Supra enim demonstravimus CONSTANTINUM in hac lege tantum respicere ad publica sponsalia, ut tunc temporis osculo & donationibus intervenientibus celebrarentur; non ad quasvis donationes osculo comite factas. Semel tantum, & id palam contra sponsaliorum arbitris, Hispanorum moribus permisum

missum erat sponsam osculari; & hoc quoque *Imperator* in hac lege probat, damnumque, quod publico praejudicio sponsae inde infertur, retentione semissis rerum donatarum, si sponso quid humanitus accidat, refaciendum esse constituit; ceterorum vero osculorum rationem nullam habendam, sed ut amoris furta consideranda: tacite subinnuens incommódum inde sponsae natum cum suavitate, quam ex iis percepit, compensare debere.

XXVIII.

Quod si sponsa interveniente, vel non interveniente osculo. Si quid donatum fuerit a sponsa sponso, & alter horum decesserit, donata semper revertuntur ad sponsam ejusque heredes; nulla habita distinctione, osculum intervenierit, nec ne. Hujus rei rationem iterum duplarem dat JAC. GOTHOFREDUS in *Comment. Cod. Theod. ad b. leg. tom. I. pag. 308.* Altera est, quod virginalis vel muliebris pudor non admittit hanc distinctionem. Non enim mulierem viro, sed virum mulieri osculum ferre & auferre seu carpere praesumi, & osculum viri gratia, non mulieris intervenire. Altera quod muliebri sexui impotenti, & ad amores caeco, licet alias ad liberalitates non adeo prono, succurri oportere visum fuit. Sed, pace manium tanti Viti dictum, neutra satis firma ac valida est. Prior inde concutitur, quod non solius sponsi, sed & sponsae gratia osculum interveniat: utriusque enim sine dubio interest, ut quam validissime sponsalia contrahantur, & hoc quasi sigillo confirmantur. Posterior vel ideo claudicat, quod nimis atrociter sequioris sexus indolem mordeat, ei-
que

que generaliter attribuat, quod tantum non omnibus competit. Vera autem ratio esse mihi videtur, quod sponsi non tanti intersit, speratas nuptias consummari, quanti sponsae; quodque idem incommodum ex osculo isto sponsalitio metuendum non habeat sponsus, atque sponsa: hujus enim pudor cum inde imminuatur, difficilis alium inveniet maritum, quam sponsus uxorem. In tantum ergo cum differat utriusque causa, ipsa ratio dictat, utrumque pari jure gaudere non posse: sed sponsae succurri oportere, ne ipsius conditio longe fiat deterior, quam sponsi est; neque praeter aestimationis damnum etiam bonorum detrimentum patiatur. Accedit, quod & Reipublicae intersit, ne quid perdant de bonis suis virgines, sed ea quam maxime conservent. Sic facilius nubere possunt, *veniunt enim*, ut Poëta ait,
a dote sagittae. Certe PAULLUS in l. 2. *D. de Jur. dot.* existimat, Reipublicae interesse, ut mulieres salvas habent dotes, non aliam ob causam, quam, ut ipsemet ait,
ut propter eas nubere possint. Nam indotatae, seu quae bona non habent, sunt fere illocabiles: unde *Eucleo* apud *Plaut. in Aul. Aet. II. scen. 2. Virginem,* ait, *habeo grandem dote cassam, atque illocabilem.*

XXXIX.

Donationis titulo. In Codice Theodosiano est, *sponsaliorum titulo.* Non male: nam hoc vocabulum diverse accipitur. In l. 6. *C. Th. de Spons.* pro arrhis sponsalitiis. Apud Ciceronem ad *Quint. fratr. Lib. II.* ep. 6. pro convivio sponsalitio. In l. 3. *C. b. t. l. 8. C. de Praed. &c al. reb. min.* eadem in significatione ac hic ponitur pro muneribus sponsalitiis.

XXX.

DISSERTATIO JURIDICA

X X X.

Quod raro accidit:) fuerit aliquid sponso largita.
 Ait *Imperator* raro sponsam aliquid sponso donare. Et
 cur, quaeſo? *Glossa* inquit, quia avara eſt mulier, &
 avarissimum genus mulierum: & ideo mulierem, quia do-
 nare non facile ſolet, ſi donet, *SCto Vellejano* non ju-
 vari, l. 4. §. 1. *D. Ad SCtum Vellej.* Plura huc per-
 tinentia congeſſerunt *MERILLIUS Lib. V. Obs. cap. 20.*
ULR. HUBERUS Lib. II. Digress. cap. 13. §. 3. *OTTO*
de Perpet, femin. tut. cap. 1. §. 14. At enim quamvis
 paſſim mulieres avaritiae iñſimulentur, & tenaces dicantur,
 vix tamen credo, *CONSTANTINUM* eas palam voluiſſe
 hoc aceto perfundere, publicoque edicto, quo haud
 parum proſpicit ſequiori ſexui, hujusmodi jocum iñſe-
 rere, qui multis riſum poſſet excitare, facetiisque am-
 plam praebere materiam. Id enim haud maieſtati Im-
 peratoris conuenit, & auſtoritati quoque Legiſlatoris
 indecens eſt. Veriſimilius ideo eſt, *Imperatorem* dixiſe
 ſponsam ſponſo *raro* donare, quia ſponsam oportet
 diligenter ſibi cavere, ne in levitatis ſuſpicionem incurrat,
 in quam autem facile poſſet venire, maxime apud Hi-
 spanos, ſi dona offerebat. Ne ergo in morum ho-
 nestatem peccet, neque nimis facilis, & contra vir-
 ginalē pudorem ſponſum in ſua vota trahere vide-
 atur, abſtinet a donis mittendis. Hanc enim ve-
 teres a ſponsa exigeabant verecundiam, ut ſe ita gereret,
 atque ſi invita eum deduceretur in ſtatū, ubi virgini-
 tam fit perditura, quo pertinet illud *CATULLI*:

Tar-

*Tardat ingenuus pudor,
Quod tamen magis audiens
Flet, quod ire necesse sit.*

XXXI.

Et antenuptias hunc, vel illam mori contigerit, omni donatione infirmata ad donatricem sponsam, sive ejus successores, donatarum rerum dominium transferatur.

Quod si sponsa vel ex simplicitate, vel ex nimio amoris fervore, sponso donationis titulo quid sit largita, id nuptiis morte alterutrius non sequutis, noluit Imperator sponsum, ejusque heredes lucrari, sed ad sponsam, ejusque successores reverti. Potest ergo sponsa, vel ejus successores, res donatas a sponso ejusque heredibus, vel rei vindicatione, vel condicione ob caussam datam caussa non sequuta repetere. Nam, ut supra diccbamus, cum sponsae suae donat sponsus, vel e diverso sponso sponsa, CONSTANTINUS putavit propter nuptias magis donari, & futurarum nuptiarum caussa datum videri; idque actum, & ab utroque provisum satis intelligi. Nec obstant Romanae leges, quae frequenter profitentur, tum demum caussa non sequuta condici, quod ob eam datum est, si per eum qui accepit, steterit, quo minus illa sequeretur, & ejus aliqua vel mora vel culpa arguatur; quia CONSTANTINUS hac lege determinat, ut, si alterutrius morte matrimonium impediatur, illi qui dedit, ejusve heredi, repetere liceat, quod donatum est; hoc tamen sub discrimine, ut si sponsus interveniente osculo donaverit, non nisi dimidium repetatur: si vero sponsa ipsa donaverit, totum nihilominus condicatur.

E

XXXII.

X X X I I.

Haec de osculo sponsalitio & CONSTANTINI lege ad id respiciente dixisse sufficiat. Illud autem coronidis loco adhuc addendum est, quod nobis Belgis alii sint mores, jura alia. Magna gaudent Batavae virgines libertate, vivunt sine custodia, in publico versantur, ambulant quo volunt sine comite, confabulantur cum viris palam, clam, publice, privatim. Prudenter sane hoc a majoribus nostris institutum est, egregieque convenit cum OVIDII monitis *Lib. III. Amor. Eleg. 4.*

*Desine, ait, crede mihi, vitia irritare vetando,
Obsequio vinces aptius ipse tuo.*

*Vidi ego nuper equum contra sua frena tenacem
Ore reluctanti fulminis ire modo.*

*Constitit, ut primum concessas sensit habenas,
Frenaque in effusas laxa jacere jubas.*

Nitimus in vetitum semper cupimusque negata.

Oscula quoque sibi figi patiuntur facile a juvene etiam ab amante, quasi memores illius puellae dicti apud THEOCRITUM *Eidill. 28.*

*Ne Satirisce tume, rem aiunt esse oscula inanem,
Et facie abluta tolluntur & oscula sputo.*

Nec ex hoc suspecta redditur, vel habetur virginum pudicitia: putant enim nostrates oscula figi absque animo luxurioso posse, & si forte suavum figatur a lasciviente proco, id non delibare quicquam pudicitiae virginis; nisi ut irritamentum inconcessae veneris ab ea recipiatur: quod tamen puellarum nostratium spectata castitas praesumere nos vetat. Animus enim non contactu labiorum, sed ex osculantium petulanti affectu inquinatur.

Non

Non fidem habemus Hispanis, oscula concubitus indicia esse, conjugii futuri praesagia, lascivientis animi signa, praenunciae flagitii blanditiae; sed tanquam pacis & concordiae ligamina, animique benevoli argumenta dari & accipi credimus. Dicant ergo dulcissimae virgines cum Phyllide illa, quae contra Annam strenue matrimonii caussam agit in elegantissimo colloquio, ab Illustrissimo CATSIO per quam nitide & jucunde patrio sermone decantato: (g)

Cur neget amplexus, & abhorreat oscula virgo?

Non pudor his, rosei non perit oris bonos:

Basia virgineis quis credat obesse labellis,

Ingenuus tenero quae tulit ore puer:

Libat apis violas, & basia figit acantho,

Oraque plena favis in sua tecta refert.

Non tamen hinc violae, non hinc marcessit acanthus,

Utque fuit roseus perstat utriusque color.

Virgo notas juvenis, quas presserat ore protervo,

Abluit, & facies quae fuit ante, redit.

Si licet opposito de lumine sumere lumen,

Invida cur juveni basia virgo neget?

Appellare quoque virginem hodie licet, nec alicujus frequens & tacita affectatio ullam puellae infert infamiam.

(b) Etenim virginibus Batavis in more positum est, sin-

E 2 gulis

(g) Quod dein in Latinum sermonem translatum JAN. GRUTERUS in suam Polyantheam inseruit, & JAC. LYDIUS commentario illustravit, qui exstat in *operibus Catſi tom. I. pag. 155. in fol.* (b) Quod tamen intelligi velim de appellatione honesta, quae justum meditatur matrimonium. Nam sane blanda ora-

lis potentibus, modo honesti sint, aditum convenienti dare Honestia capud nos judicatur libertas, crescitque puellis aestimatio formae ac morum, si honeste appellantes procos comiter excipient. Primi de futuro matrimonio sermones raro hodie feruntur, & prima matrimonii fundamenta rarissime jaciuntur a parentibus. Immo probrosum habetur inficiam filiam conjungere marito, & offerre nuptias non petenti viro. Eligit, quam amare velit juvenis, rem communicat dein parentibus, ex quorum arbitrio vel conceptum suffocat amorem, vel fovet. Procos indicat patri honesta puerilla, & ex ejus arbitrio respuit oblatam conditionem; vel si & ipsi & patri non contemnenda videatur affinitas, patitur blandis verbis, & oratione ad suscitandum amorem composita, sece appellari a proco, donec ab utriusque parentibus spondeantur nuptiae & totum perficiatur negotium. Itaque relegata hac CONSTANTINI lege ad Hispanos, qui credunt inficere suavium luxuriaev veneno pudicam mentem, nostris moribus totum quod futuri matrimonii intuitu datum est, ad sponsi heredes revertitur; nec quicquam juvat sponsam acceptum osculum, cum sponsalia instar contractus sint. Immo tantum abest, inquit GROENEWEGEN *de Legib. abrogat. ad h. t.* ut mores nostri aliquid juris vel gratiae osculo tribuant, ut ne praefloratam quidem, mortuo ante nuptias sponso, quid juris habere sinant in sponsalitias largitates; ne plus concedatur luxuria, quam castitati, & ne

ex

oratione pueriae pudicitiam attentare, nitique eam seducere ad meretricios concubitus, & hodie contra bonos mores civitatis habetur.

ex libidinoso concubitu quid commodi capiat ante tempus lasciviens sponsa, digna magis censura, quam commiseratione vel lucro. Reservatur tamen sponsae adversus sponsi heredes actio, ut ei resarciantur damnum imperfectae virginitatis; cum non sua tantum, sed & ipsius sponsi hic versetur culpa.

Haec B. L. pro specimine inaugurali sufficient. Si quae minus exacta, si quam a proposito digressionem, aut enarrationem blandiusculam invenias, quae so ne frontem contrahas, sed memor sis juvenilis aetatis, cui in omnibus confirmatum non est judicium; & versibus tragicis exponi rem comicam nolle: quin deliranti similis foret, qui in amoenissimo prato obambulans odorantes praeteriret flores, & infelix lolium, sterilesque legeret avenas. Si autem quaedam offendas, quae placent, nihil gratius unquam mihi contingere poterit.

T A N T U M.

C O R O L L A R I A.

I.

*Condictio furtiva datur adversus furis
heredes, etiam si nihil ad eos perve-
nerit.*

II.

*Maritus dominus est praedii dotalis,
quamvis id alienare non possit.*

III.

*Res vendita statim atque contractus per-
fectus est, incipit esse periculo emto-
ris.*

IV.

*Vendor, rei venditae copiam habens,
compelli potest ad eam tradendam.*

V.

*Bonae fidei possessor omnes fructus per-
cipiendo suos facit.*

NOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
VIRO JUVENI

JACOBO SIMONI GULDENSTEEDEN,

Quum Jurisconsultorum ordini adscriberetur.

Aurea lux oritur subitis invecta quadrigis,
Aurea lux, votis saepe petita tuis.
Diffundunt omnes animum, cantumque moventes
Exoptant votis prospera cuncta piis.
Te quoque cum fas sit (quamvis mihi parva canendi
Vena sit) his numeris tollere in astra velim.
Est Tibi nunc animus patrias cognoscere lites,
Nil est quod metuas, praemia victor habes.
Eja age! Te, Juvenis, Surinama stupescet, ad aures
Talia cum tulerit nuncia Fama suas.
Gaudia concipiet, quicumque has Palladis artes.
Audit, & exultans plaudit amica cohors.
Ast quem fida Tibi junxerunt Numina semper
Proh dolor! hunc linques, Tu, meus alter. Eheu!

Nos

Nos Surinama suis nascentes vedit in oris,
Amstela Pieris invigilare sacris.
Trajecti fidos iterum sociavit amicos
Alma Themis, dement hunc mihi fata virum?
Non dement, nam, quamvis Te Pater Amstela tollat,
Infixus cordi semper, Amice, manes.
Quod supereft, liceat votivas fundere voces,
Communesque preces laetitiamque sequi.
Vive, valeque diu, dulci gaudere quiete,
Te foveat gremio Virgo cupita suo.
Sis felix, gratos Tibi multos appreco annos,
Candida fint vitae stamina, Amice, vale.

Contubernii Amicitiaeque ergo

H. REYNSDORP.

ORNATISSIMO. AC. PRAESTANTISSIMO.

VIRO. IUVENI.

IACOBO. SIMONI. GULDENSTEEDEN.

Juris utriusque Doctori renunciato.

Dum Tu Palladiis postremos addis honores,
Addis & Aoniis ultima tura foci.
Dumque sacri castus iuris Themidisque sacerdos
Diceris, Amstelii fama futura fori.
Ut decet, optatum gratari Musa sodalem,
Et Pyladi tentat plectra movere suo.
Tentat at heu ! faciles nequidquam fundere versus,
Pulsat & invitae fila coacta lyrae.
Non facit, ut numeros carmen redigatur ad aptos
Cynthius, & solitam ferre recusat opem.
Haec tacitae caussa est Musae, JACOBÈ, neglecti
Haec est officii caussa, dilecte, mei.
Una tamen recreat languentem blanda Camenam,
Recreat auguriis Cypria Diva bonis.
„ Qui Themidi primam solitus sacrare iuventam,
„ Mox cultor nostri Numinis, inquit, erit.
„ Dicitur Amstelias lauru redimitus ad oras,
„ At mox pro lauru myrtle ferta geret.
„ Accipietque meo JACOBUS munere sponsam,
„ Et feret ad nostros tura merumque focos.
„ Tunc tibi non surdas praebabit Delius aures,
„ Sed tua Pegaseis ora rigabit aquis.
Ergo dum thalami socialia foedera panges,
Ausoniam ponet nostra Thalia lyram.

O. N. A. A.

E

Nu mag het goudryk Westen 'roemen
Op GULDENSTEEEDENS grooten naam,
En hem met recht zvn eerkroon noemen.
Blyf dan, myn vriend! blyf lang bekwaam,
Op zulk een' voet het recht te slaven!
Dan zal geen wrevelzicke nyd,
Gebeten op het lof der braaven,
Uw' naam ontrukken aan den tyd,
En Gy, die Hydra lang ontwassen,
Zult op uw kruin een eerkrans passen.

Ga vry, daar reeds met open armen
Astreas vierschaar U verbeidt,
Om weêuw en weezen te beschermen;
Zoo volg' de loon op naarstigheid
Wanncer Ge in Amstels ruime muuren,
Door schrander oordeel, kloek verstand,
Besteedt met lust uw levensuuren
Ten nutte van het Vaderland,
En, door een eedle drift aan 't branden,
De twist en 't onrecht sluit in banden.

En stelt Ge ons nu zoo teér voor oogen,
Wat loon op 't liefdekusje staat,
Gy zult dit, ben ik niet bedrogen,
Haast ondervinden metter daad;
Als Ge aan het puik der maagdenreyen
Een kusje geeft tot onderpand,
Wen Gy haar zult naa 't autaar leyen,
En vrolyk schenken hart en hand;
Daarze ook, van reine liefde aan 't blaaken,
U eeuwig zal gelukkig maaken.

Dan

Dan zullen de Amstelnimfjes kweelen,
En roemen uw' gewenichten staat;
Het Y zal in uw vreugde deelen,
En 't veld zal groenen waar Gy gaat.
De Singelnimf zal zich verblyden,
Zy vindt zich door uw keus veréerd,
Ja, zelfs de Dichters zullen stryden,
Wie 't best voor U de fluit hanteert,
En Gy zult uit dit zoet gewemel
U spoeijen naa den Bruilofshemel.

J. W. ROSCAM,

MDCCLV.

J. U. S.

TER BEVORDERINGE

Van den Wel Ed: Heere

JACOB SIMON GULDENSTEEDEN,

Tot Meest er der beide Rechten.

Vergunme een Lovertje te hechten,
O GULDENSTEEDEN! aan den krans,
Die Themis thans
Komt om uw schedel vlechten!
Vergun, dat U myn zangster groet',
Daarge in het koor der kunstgodinnen,
Wier gunst gy reets voor lang mogt winnen
Pronkt met den Lauwerhoed!
Vergun dat Zy heur toon moog' paaren,
Met dien van 't Dichterdom,
Vervangen van 't gebrom
Der Bas- en Vedelsnaaren;
Uw blyde Feestdag zet die klanken luister by,
Nu Ge in de Prieysterlyke ry
Van 't Recht met glorie aangeschreven,

Ten

Ten loon voor tyd en zweet,
Niet vruchteloos besteed,
Word tot het Meesterschap verheven!
Wel aan! zy zwaait thans bly te moe
U haare oprechte wenschen toe:
Geluk, myn Heer! moet U verzellen!
't Zy Gy ter vierschaar pleit voor 't recht,
En 't snood geweld aan banden legt,
Dat vaak de onnozelheid komt kwellen:
't Zy dat Ge voortstreeft langs die baan
En klimt tot hooger waardigheden;
Lang moet Ge die met roem bekleeden!
Noit moet Uw heilzon ondergaan!
En wyl Ge haast van hier zult scheyen,
De Vechtnimf met heur blanke stoet
In 't kort Uw byzyn missen moet,
Zoo mogen de Y-en Amstelreyen
U wellekommen, hulde doen,
Met eerepalm en gloriegroen
Naa 't huwlyks outer U geleyen!

W. K R O O N.

TER BEVORDERINGE

Van den Wel Ed: Heere

JACOB SIMON GULDENSTEEDEN,

Tot Meester der beide Rechten.

Een Bloemkrans voegt uw kruin van yder een geprezen;
Doch 't Bloemtje valt in 't stof, myn koren word gelezen,
En yder is gedichd ook met het dorre graan;
Maar is de roos verlept, zo wil 'er niemand aan.
Wel paarr dan frisse jeugd! een vogel bout zyn nest:
Wat oud is mag het doen, maar 't past de jonkheid best.

Amicus amico sic cecinit.